

unam, longe infra oculos versus posticam corporis partem paulum vergentes, unum digitum longus: et prope utramque rimam, unam plus semidigito longam, branchiarum loco: unam denique pinnam inferius in ventris extremitate prope exortum caudae, unum paene digitum longam, dimidium latam: quinta facit caudam. *Cornua* duo directe ante se protensa in fronte gerit prope oculos, magnitudine calcario galligallinacii, duo itidem aequalis magnitudinis in infimo ventre versus quartam pinnam. Caret squammis, sed tegitur densa cute, in ventre quidem alba, reliquo autem corpore fusca, atque in ventre et lateribus usque ad altitudinem oculorum figuris trigonis, tetragonis, pentagonis, hexagonisque mire distincta et notata. Vbi-que autem (excepto infimo ventre) eadem cutis variis maculis nigricantibus est insignita. De altera specie superius egimus.

Idem H. B.
4. 4. 4.

Petimbubaba piscis tres aut quatuor pedes longus: corpore instar Anguillae. Os edentulum acuminatum, superioris mandibula breviori quam sit inferior: estque longitudo oris sesquidigiti, amplitudo, ubi maxima, vix unius. *Caput* novem digitos longum est ab oculis ad oris extremum, crassities ejus post oculos quinque digitorum, hinc paulatim minuitur, ita ut prope os sit trium tantum digitorum. In summa autem longitudo capitis a fine branchiarum ad oris extremum est unius pedis et unius digiti. *Oculos* habet satis magnos, magnitudine nucis avellanae et paene figura, pupilla splendida caerulefcente, quam tunica ambit argentea, in parte anteriori et posteriori macula miniata notata. Post branchias in utroque latere, pinna directe proten-

ditur a latere sesquidigitum lata et longa rufescentis coloris: hinc sex et semis digitorum intervallo versus posticam corporis partem, duae pinnae parvae rufescunt in quolibet latere una, sed magis versus ventrem.

Post has pedis intervallo sequitur pinna rufescens duos digitos longa, sesquidigitum lata: sub hac autem ejusdem magnitudinis et coloris una in infimo ventre: demum a fine harum intervallo fere quinque digitorum, sunt adhuc duae pinnae rufescentes paulo minores superioribus, una sursum, altera deorsum elata, et inter has ortum sumit cauda instar murenarum tenuis, teres, sex digitos longa. Corporis autem longitudo a fine branchiarum ad caudae initium est duorum pedum et trium digitorum. Cute est instar Anguillae glabra, coloris in toto corpore et lateribus ab ore ad caudam, hepatici, in dorso triplici, in lateribus unica serie macularum caerulearum magnitudine nummi Misnici fere: hae maculae a medio corporis in lateribus ad caudam usque in lineas coeunt: inter omnes autem maculas caeruleas ordine intercedunt maculae virescentes. In inferiori corpore, tam sub capite quam ventre, albescit, et videtur aliqua rubedo inspersa. Corpus autem universum non exacte teres est, sed compressum et latiusculum, ventris enim latitudo prope secundum par pinnarum, ubi latissimus, duorum digitorum, crassities ibidem totius corporis sex digitorum. Hinc paulatim attenuatur, donec prope exortum caudae sit sesquidigitum paulo plus aut minus crassum. Edulis est piscis. Potest *Acus* piscis vocari. Iconum quas supra dedimus, nulla cum hac convenit, nisi forte *Acus* minor Bellonii.

ARTICVLVS II.

De *Nbambdia* et *Guaperua*.

NHAMBDIA Brasiliensibus, *Ba-gra do Rio Lusitanis*, piscis corpore oblongo, obeso, ventre molli, versus posteriora angustiori. *Capite* compresso, et ore parabolicae figurae, et denticulis minimis praedito. Est autem corpus duodecim aut quatuordecim digitos longum, duos et semis

altum, ubi altissimum. *Oculi* parvuli, paululum protuberantes, rotundi, pupilla nigra, circulo ex auro et umbra mixto. Branchiae satis amplae, et barba sex filis constans, duobus supra et quatuor infra os: Eorum quae supra os versus latus stant quodlibet crassitiem habet fili, quo literae ob-

signan-

TAB.
XXXVI. 5.
6.
Marcgrav.
lib. 4. c. 5.